

in hunc modum hanc partem confirmare, primo, quia Patres admittunt et supponunt hanc conditionatam præscientiam peccati futuri sub conditione, etiam in electis, in quibus non permittit conditionem impleri, ne peccatum sub conditione prævisum impleatur, et hoc attribuunt magnæ gratiæ Dei: ergo supponunt illud peccatum non fuisse futurum ex decreto ipsius Dei, sed ex pura fragilitate ipsius hominis, cui subvenit gratia: nam homo ex se non indigebat illa gratia, nisi a Deo ipso in illo conditionato discrimine (ut sic dicam) constitueretur. Unde, cum Deus in secundo illo signo determinat tollere homini vitam ne peccet, non tam illi gratiam concedit, quam impedit ne maleficium, quod erga illum cogitaverat, compleatur: quod est satis violentum remedium, magisque Deo dignum fuisset non imponere illi homini talem necessitatem peccandi, etiam sub conditione. Non est ergo ille modus providentiæ Deo consentaneus, ac subinde non est ille sensus Patrum, sed plane supponunt hominem ex se, et cum communi concursu de se indifferente, fuisse peccatum, si viveret, et ideo ex misericordia præveniri, ut potius præmature moriatur quam postea peccet.

14. *Probatur magis et declaratur ex Augustino.*—Secundo, potest ulterius declarari, quia, sicut Deus multos rapit quos præscit fuisse peccaturos, si viverent, ita etiam multos in vitam conservat, præsciens similiter esse peccaturos, quod evidenter docet Augustin. in eisdem locis de Corrept. et grat., capit. 8, et de Dono persever., capite nono, et aliis: ergo, sicut primum cognoscit in decreto conditionato, ita etiam hoc posterius: ergo sicut Deus rapit illum ne cadat, ita hunc conservat ut cadat: hoc autem absurdissimum est, et contra Augustinum, libr. primo contra Julian., capit. octavo, in fine, dicentem: *Non ideo creat pecora in armentis et gregibus impiorum, ut demonibus immolentur, quamvis hoc eos noverit esse facturos.* Quod ideo verum est, quia Deus non decrevit ut impii immolarent pecora demonibus, nec facit ut id faciant: nam si hoc ex se et absoluta voluntate decrevisset, profecto etiam crearet armenta, ut illa sua voluntas impleteretur. Sic ergo nos dicimus, si Deus præsciret hominem, si vivat, commissurum esse actum peccati, quia ipse Deus ita determinavit sub eadem conditione, quando postea vult antecedens impleri, id est, hominem vivere, vellet ut homo ille cadat, et efficaciam sui primi decreti

in illo ostendat: est ergo indignum Deo talia decreta ipsi tribuere. Unde Augustinus in verbis citatis, quamvis de præscientia absoluta loqui videatur, tamen et supponere videtur conditionalem, qua Deus voluit creare armenta, etiamsi præsciret quod, si illa crearet, essent immolanda demonibus: et ipsam scientiam absolutam talium peccatorum supponit non esse in decreto, quo Deus ante illam præscientiam absolute decrevisset ut homines talia facerent. Nam si crederet in Deo esse tale decretum, non esset cur negaret, imo negare non posset Deum creare armenta talium hominum, ut materiam haberent ex qua suum primum decretum infallibiliter implerent.

15. *Conditionatum decretum repugnat divinæ bonitati et libertati, et menti sanctorum agentium, cur Deus, præsciens hominem vel Angelum peccatum, ipsum creaverit.*—Tertio, sunt maxime ponderanda testimonia in quibus Patres rationem inquirunt cur Deus hominem, vel Angelum creavit, quem præsciebat peccatum? Nam in tali præscientia fingi non potest antecedens decretum conditionale, in quo fundetur. Oportebit enim supponere Deum, prius ratione quam absolute decrevisset creare Angelum, secum ita statuisse, si talem Angelum vel hominem creaverit, illum peccare permittam, illa utique permissione quæ includat absolutum decretum determinandi voluntatem talis hominis vel Angeli ad actum habentem annexam inevitabiliter malitiam peccati. Hoc suppono tanquam manifestum in illa sententia, quia nullum aliud decretum cogitari potest in illa sententia, ex quo inferatur infallibiliter illa conditionalis illativa, seu ex vi illationis, ut in illa sententia supponitur necessarium. Talis autem cogitatio habet repugnantiam ad divinam bonitatem, quam satis ponderamus, et statim per se occurret cuilibet attente rem consideranti. Habet etiam difficultatem de necessitate peccandi, quæ inde sequitur, et est contraria libertati, ut ex prolegomeno præcedenti facile potest intelligi. Sed hæc prætereo, et in auctoritate Patrum insisto. Est enim illa cogitatio evidenter aliena a mente Sanctorum illam quæstionem vel rationem inquirentium; nam si præscientia peccati sub conditione futuri supponit decretum illud, in quo ejus veritas et illatio fundatur, potius quærenda esset ratio cur Deus tale decretum habuerit; nam ibi esset tota ratio admirationis et difficultatis, et sine dubio esset maxima, et

judicio meo inexplicabilis, quomodo Deus, cum sit summe bonus et sapiens, sola libertate, et nulla occasione sumpta ex determinatione creaturæ, talem determinationem absolutam ex se habuerit. At Patres nullam quæstionem de hoc moverunt, nec rationem talis decreti dare tentarunt: ergo signum est illam præscientiam, quam supponunt, esse simplicem scientiam quasi naturalem in ordine ad decreta libera divina, quia ante illa supponitur, et ea non obstante decrevit Deus libere hominem creare, et illi præceptum imponere, et suæ libertati eum committere. Et hoc est primum decretum liberum, quod Sancti circa creationem hominis vel Angeli ponunt, et ideo de illo solo rationem reddunt, cur illa præscientia ei non obstiterit, quia malitia (inquiunt) hominis illo modo futura non potuit vincere bonitatem Dei, nec debuit puniri antequam fieret. Quæ rationes nullo modo accommodari possunt ad illud conditionatum decretum, ut constat: est ergo ille modus explicandi dictam præscientiam in illo casu alienus a mente dictorum Patrum, et per se incredibilis, cum nulla auctoritate nitatur, et sit de re obscurissima pendente ex sola libertate Dei, et habente alias difficultates et incommoda quæ insinuavimus.

16. *Præscientia quæ antecedit congruam vocationem est conditionata.*—Venio ad alteram partem de hac præscientia, prout a Patribus esse dicitur de bonis actibus sub conditione futuris. In quo imprimis consideranda est illa præscientia, quam sanctus Augustinus antecedere supponit ad congruam vocationem, nimirum, quia præscit Deus quis modus vocationis erit congruus alicui, ut vocantem non respuat. Quod etiam aliis locis allegatis dixit Chrysostomus, Deum aliquos ex gratia tunc vocare, quando eos scit obtemperaturos. Nam illa præscientia, ut ostendi, non potest esse absoluta, cum hæc sequatur ad propositum sic vocandi, ut constat: est ergo scientia conditionata, et non potest fundari in conditionato decreto. Primo, quia non fundant Patres congruitatem vocationis in decreto, sed in quadam attemperatione vocationis ad talem voluntatem taliter affectam, et tali tempore cum talibus circumstantiis præcognitam, quam Deus infinita sua sapientia intime propiciens intuetur in tali opportunitate esse obtemperaturam, ut videre licet in Augustino locis allegatis, et præcipue in dicto capite de Dono persever., ubi, ex eo quod Deus aliquos vocat, prout novit eis expedire, infert esse in

*aliquibus naturaliter munus quoddam intelligentiæ quo præmoveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* In qua illatione aperte sentit veritatem illius conditionalis: *Si iste ita vocetur, consentiet,* non fundari in antecedenti decreto Dei prædeterminante; illud enim in quocumque homine eujuscumque conditionis vel ingenii semper erit efficax; sentit ergo Augustinus illam præscientiam nullum supponere decretum a quo habeat vocatio illam congruitatem, sed hanc sumi ex coaptatione ad tale ingenium cum aliis conditionibus, quibus perspectis, Deus sua infinita scientia veritatem futuri consensus intuetur.

17. *Ratione probatur, quod conditionata scientia nec conditionatum, nec absolutum decretum, supponat.*—Secundo, idem probamus ratione, quia hæc conditionata scientia, quam Augustinus et alii Patres supponunt ante vocationem, præcedit secundum rationem ad propositum absolutum dandi vocationem: ergo nullum aliud decretum supponit vel absolutum vel conditionatum. Major evidens est ex testimoniis, et statim amplius probabitur. Consequentia vero quoad priorem partem de decreto absoluto probatur, quia vel illud esset in Deo per modum intentionis dandi homini consensum liberum in fidem, vel quid simile: vel esset per modum executionis, ita ut eadem voluntas sit effectio ipsiusmet consensus humani vel saltem motionis prædeterminantis ad illum. Prior actus non solum esse potest in Deo ante præscientiam absolutam futuri consensus, sed etiam est probabile semper præcedere in actibus bonis, et maxime in supernaturalibus, quia potest illos Deus prædefinire et prædestinare, antequam absolute præsciat illos esse futuros. Nihilominus tamen hæc prædefinitio Dei supponit præscientiam conditionatam in Deo, qua novit quod si hominem efficaciter moveat aut vocet tali modo, infallibiliter convertetur. Quam præscientiam negare non possunt adversarii, tum quia est per se necessaria ad talem actum intentionis absolutum prudenter habendum, quia nemo potest specialiter intendere seu absolute velle consequi aliquem finem, nisi media, quibus illum consecuturus est, habeat præcognita; unde ut intentio sit infallibilis, necesse est ut media præcognoscantur ut infallibiliter efficacia ad consequendum finem: hæc autem præcognitio sistit in hac conditionali: Si usus fuero his mediis consequar finem; et in præsentem revocatur ad istam: Si ita hunc hominem

vocavero, consentiet : tum etiam quia dicunt auctores contrariæ opinionis consensum infallibiliter sequi ex motione physice prædeterminante : ergo, antequam Deus habeat intentionem salvandi illum credentem, habet scientiam hujus conditionalis : Si dederit huic talem motionem, salvabitur, vel credet. Atque hinc facile probatur altera pars de decreto exequente, quia omne volitum est præcognitum, etiam in Deo ; sed Deus vult dare illam vocationem vel motionem, ut congruam et efficacem ; ergo præcognovit illam ut talem : ergo, antequam velit illam dare, præscit quod, si illam dederit, habebit effectum ; quod, ut probavi, negare non possunt etiam adversarii : unde quoad hoc solum est differentia, quia nos ponimus illam scientiam non ex vi illationis ex tali conditione, ipsi autem debent illam admittere ex vi illationis. Et ita, quantum ad hoc punctum, revocatur dissensio ad quæstionem de prædeterminatione physica, tractandam in libro tertio, post medium, et latius in libro 5 per totum. Jam vero probatur prior consequentia quoad decretum conditionatum liberum, quod in Deo præcedere non debeat ad talem scientiam ; et primo in sententia adversariorum est evidens, quia scientia illa quam declaravi, habetur ex vi illationis ; unde pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ omnino necessariam : ergo nullum supponit decretum liberum ; sicut scientia hujus conditionalis : Si sol creatus fuerit, illuminabit ; vel : Si voluero creare mundum, incipiet esse, et quælibet similis, est in Deo ante omne decretum liberum : non est autem minus necessaria illa conditionalis, in vi illationis : Si dederit huic homini motionem prædeterminantem, consentiet : ergo etiam illa non supponit decretum liberum conditionatum, sed potius in suo objecto includit illud, non ut jam existens, quoad liberam determinationem cum respectu rationis, sed ut possibile nostro modo concipiendi : sicut intelligimus nunc fuisse in Deo possibile decretum liberum creandi alium mundum, quod de facto non fuit. In nostra vero sententia probatur, quia vocatio non habet quod sit congrua a physica prædeterminatione, neque ex immediata efficacia antecedente divinæ voluntatis : ergo congruitas vocationis, seu efficacia ejus, ut possibilis, non pendet ex aliquo decreto libero Dei, etiam conditionato : ergo nec scientia de efficacia talis vocationis, si detur, supponit, secundum rationem, antecedens decretum conditionatum. Antecedens probamus, quia

ille modus efficaciæ repugnat libertati, juxta dicta in præcedenti prolegomeno, et latius dicta in libro quinto. Consequentia vero prima est per se evidens, quia nihil aliud est scire hanc conditionalem esse veram : Si hæc vocatio detur, homo consentiet, quam scire hanc vocationem, cognitam ut possibilem, cognosci etiam ut efficacem possibiliter : ergo si vocatio non habet hanc efficacitatem ut possibilem a libero decreto Dei, sine illo et ante illud præscietur, quia omne quod est possibile præcognoscit Deus ante omne liberum decretum. Et nihilominus, in objecto illius scientiæ includitur aliquod decretum Dei sub conditione, non tamen prædeterminans physice, sed offerens concursum concomitantem, ut supra declaravi. Et ita quoad hanc partem etiam revocatur tota differentia opinionum ad controversiam de concursu Dei prævio, vel concomitante, et de præveniente gratia physice prædeterminante, vel moraliter alliciente et physice tantum cooperante, et consequenter erit differentia in decreto incluso in objecto illius scientiæ, seu in ipsa conditione, quale sit. Quod autem hoc decretum, ut in re ipsa existens, in Deo supponatur ad talem scientiam, in nulla sententia dici posse videtur.

18. *Pœnitentia, nunquam futura præscita, non potest fundari in aliquo decreto.* — Ultimo, possunt ponderari testimonia Patrum, quia sicut dicunt præscisse Deum hominem justum esse lapsurum, si vivat, et per mortem prævenire illum ne peccet, ita dicunt præscire Deum, hominem pravum fuisse acturum pœnitentiam si viveret, et nihilominus non vult concedere ei vitam, sed permittere ut in peccato moriatur. Illa enim præscientia conditionata de pœnitentia nunquam futura non potest fundari in decreto absoluto, ut per se constat : conditionatum autem ibi superflue fingeretur, et sane præter intentionem Patrum. Nam tale decretum solum esset hujusmodi : Si darem huic vitam, darem etiam pœnitentiam. Quia tale decretum nec continetur in aliqua universali promissione, vel ordinaria lege Dei, neque est necessarium secundum communem cursum providentiæ ad aliquem effectum ejus, neque habet aliquam utilitatem vel rationem : ergo et frustra ponitur, ac sine fundamento, et incredibile est Patres fuisse locutos de illa præscientia ex suppositione talis decreti liberi, cujus fundamentum, imo nec vestigium in Scriptura, vel in effectibus, aut revelationibus Dei invenitur. Quam rationem infra latius prosequemur, nunc enim solum ad

ponderanda testimonia Sanctorum illam attigimus.

## CAPUT VI.

QUID DE HAC SCIENTIA CONDITIONATA DIVUS THOMAS SENSERIT.

1. *Primum argumentum contra nos : D. Thomas non agnovit scientiam conditionatam. Nav. controv. 16, vel 56, paragr. 3, contra præscientiam futurorum conditionatorum.* — Quoniam Auctores contrariæ sententiæ (ut solent) auctoritate divi Thomæ imprimis muniuntur, ideo in potissimis punctis hujus materiæ et maxime controversis summa diligentia ejus mentem investigare conabimur. Primo ergo divum Thomam non agnovisse scientiam hanc conditionatam vel omnem, vel saltem, quæ divinum decretum antecedit, ex principiis ejus colligunt. Primo quia divus Thomas adæquate dividit scientiam Dei in liberam, et naturalem : sed hæc scientia conditionata nec libera dici potest, quia est in Deo sine decreto libero ejus, nec naturalis, quia simpliciter posset non esse in Deo si voluntas creata aliter esset volitura, ut posset etiam posita tali conditione : ergo est tertia scientia, quam divus Thomas non agnovit. Pro majori citatur divus Thomas, 1 part., quæst. 14, art. 9 ; 3 part. quæst. 10, art. 2, ad 2 et quæst. 13, art. 1, ad 2 ; libro 1 contra gent., cap. 66 et 69 in fine ; Quodlib. 3, art. 3 ; quæst. 8 de Verit., art. 4 ; quæst. 20, a. 4, ad 1 ; in 1, distinct. 38, quæst. 1 ; in 3, distinct. 14, quæst. 1, a. 2, quæstiunc. 2 ; in 4, dist. 49, quæst. 2, art. 5.

2. *Secundo, quia futura conditionata non cognoscuntur in præsentia æternitatis.* — Secundo quia juxta doctrinam D. Thomæ nullus est modus, quo possit Deus habere talem scientiam. Probatur, quia 1 part., quæst. 14, a. 13, unicam tantum viam esse dicit, qua possit Deus cognoscere futura contingentia, scilicet in præsentia æternitatis ; sed conditionata futura non potest cognoscere in præsentia æternitatis, quia nunquam futura sunt, et æternitas non coexistit nisi his, quæ in aliqua differentia temporis extitura sunt : ergo in doctrina divi Thomæ futura conditionata contingentia non possunt subesse certæ et infallibili cognitioni. Minor cum consequentia videntur claræ. Major patet ex divo Thoma, 1 part., q. 14, art. 13. Ubi distinguens duplicem statum futurorum, in se, et in causis suis, ait in causis nullo modo posse certo cognosci, sed

ad summum per conjecturam ; prout autem unumquodque illorum est actu in se ipso, sic subdi cognitioni certæ et infallibili, et quia ita attinguntur per æternum Dei intuitum, ideo certo præsciri, quia ejus æternus intuitus fertur super omnia, ut suæ æternitati præsentia ; in quo discursu manifeste omnem alium medium cognoscendi futura contingentia excludit. Idem docet 2. 2, quæst. 171, art. 6, ad 2, et lib. 1 contra gent., capit. 67, ubi in ratione prima hanc sumit propositionem : *Contingens certitudini cognitionis non repugnat, nisi ut futurum est, non autem ut præsens est.* Declarat autem solum esse præsens pro tempore pro quo est, quæ præsentia locum non habet in re nunquam futura, et in toto illo capite explicat præsentiam per actualem existentiam, quæ in futuris conditionatis, ut sic, non intervenit. Idem habet in 1, dist. 38, quæst. 1, art. 5, et quæst. secunda de Verit., art. 12. ubi generaliter concludit contingens, ut futurum est, per nullam cognitionem, etiam divinam, posse infallibiliter cognosci. Quod etiam tradit q. 16 de Malo, art. 7, et ubique addit particulam exclusivam dicens, non posse futura contingentia certo sciri, nisi tali modo, utique ut præsentia dicto modo : ergo.

3. *Confirmatur primo.* — Et confirmatur primo hoc testimonium D. Thomæ, quia, si semel admittatur præscientia hæc conditionata, aperte sequitur posse etiam absoluta cognosci alio modo quam per præsentiam æternitatis, nimirum in aliqua causa proxima vel remota, quod est contra eandem hypothesim positam in doctrina divi Thomæ. Sequela patet, quia si Deus, ante omne decretum liberum, per simplicem intelligentiam, videt hanc conditionalem esse veram : Si Petrus in tali occasione cum talibus circumstantiis constituatur, libere loquetur : et in posteriori signo addatur decretum liberum, quo vult Petrum constituere in tali occasione et circumstantiis, eo ipso videt Petrum libere esse locuturum in illis duabus præmissis sine discursu ex parte sua : ergo jam videt futurum absolutum alio modo quam per præsentialem existentiam ejus. Idem argumentum potest contra me fieri : nam, supposita illa conditionali scientia, dico posse Deum prædefinire actum liberum futurum, saltem per modum intentionis absolutæ : ergo jam cognoscit Deus per absolutam scientiam in illo decreto Dei illum actum esse absolute futurum, cum tamen in illo signo nondum videatur illud futurum in se, ut præsens,